



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.36. Sicilia Regi Angliæ offertur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

**Sæcul. XIII.** se privatos quosdam Abbatis Joachimi  
A. C. 1256. deliramentis captos.

## §. XXXVI.

*Sicilia Regi Angliæ offertur.*

Papam Alexandrum jam inde ab initio  
 sui pontificatus maxime occupabat  
 bellum suum contra Manfredum, cuius  
 res indies bellius procedebant. Anno  
 priore 1255 Legatus Octavianus partes  
 summi Pontificis debiliores videns ad pa-  
 ctionem venerat, per quam illi Principi  
 ac nepoti ejus Conradino regnum Sicili-  
 um cedebat, excepto agro Laborino, qui  
 Ecclesiæ maneret obnoxius. Sed Ale-  
 xander hanc pactionem minime ratam &  
 Siciliæ solium pro vacuo habens, id An-  
 glorum Regi Henrico pro Edmundo alte-  
 ro ipsius filio obtulit, ut jam Innocentius  
 IV. fecerat: & conditiones hujus con-  
 cessionis statutæ fuerant. Jacobus Bom-  
 cambius Episcopus Bononiensis Ord. Præ-  
 dicatorum a Papa hoc fine missus in An-  
 gliam, coram Regni Proceribus magno  
 numero congregatis juvenem Principem  
 Edmundum in possessionem Siciliæ Apu-  
 liæque per annulum Papæ nomine illi  
 datum inauguravit post festum S. Lucæ  
 diem scilicet sub finem Octobris anno  
 1255.

Post

*Anon. ap.*  
*Ughell. to 9.*  
*p. 843. 844.*

*Rayn. an.*  
*1255. n. 8.*  
*Ughell. to 2.*  
*p. 25.*  
*M. Par.*  
*p. 779.*

Post spatium mensis venit in Angliam Sæcul. XIII.  
Rustandus Legum Doctor, Hypodiaconus, A. C. 1256.  
Papæ a sacrario, natione Vasco. Huic  
Alexander in mandatis dederat, ut cum  
Archiepiscopo Cantuariensi ac Herefor-  
diensi Episcopo in Anglia, Scotia, & Hi-  
bernia pro Papa vel Rege sine discrimine  
decimas colligeret. Fecit eidem potesta-  
tem absolvendi Regem a voto sacri belli  
pro Hierosolyma, ea conditione, ut is in  
Apuliam contra Manfredum moveret.  
Rustandus dein Londini & reliqua in An-  
glia sacræ militiae classicum adversus  
Manfredum cani jussit eamque ineunti-  
bus indulgentiam Terræ sanctæ addici;  
fremeante simul ac mirante populo, pro  
Christianorum ethnicorumque sanguine  
spargendo eandem promitti veniam. Con-  
vocati sunt Angliæ Episcopi eam ob mo-  
litionem, ad quam immensas pecuniarum  
summas ab ipsis Papa poscebat. In con-  
ventu Londini habito die S. Hilarii 13  
Jan. 1256 Rustandus omnes Ecclesias ad  
Papam pertinere afferuit. Tunc Doctor  
quidam Leonardus nomine Cleri orator  
cum modestia, Verum est, inquietebat, cun-  
ctas Ecclesias esse Papæ, sed defensionis,  
non possessionis vel proprietatis causa:  
sicut dicimus omnia esse Principis, ad tu-  
telam scilicet, non ad dissipationem.

Anniversario lustratae Virginis die p. 792.  
Rex S. Ludovicus magnum senatum ha-

P 5 buit,

**Sæcul. XIII.** buit, quo Rex Henricus Legatos misit,  
**A.C. 1256.** inter alios Joannem Manselium unum de  
 fidissimis consiliorum arbitris. Per Fran-  
 ciam transitum ad occupandam Siciliam  
 petiturus erat. Sed accepta notitia de  
 arctis illo in regno Papæ rebus, ne de his  
 loqueretur, obstat.

Romanam ad aulam Rex Henricus  
 electum Episcopum Sarisburensem &  
 Abbatem Westmonasterii misit, qui tem-  
 poris ipsi a Papa præstituti (quod immi-  
 nebat) prærogationem impetrarent. Quip-  
 pe sub poena censurarum se adstrinxerat,  
 ut festo Sancti Michaëlis die 29 Sept. 1256  
 in Siciliam trajiceret, vel belliducem cum  
 exercitu satis numero illuc mitteret.  
 Rustandus ex Anglia discedens, & Ar-  
 chiepiscopus Centronensis se Legatis illis  
 junxerant. Qui Papam permoverunt, ut  
 semestrem dilationem, a primo Decembris  
 ducendo initium, Regi concederet. Epi-  
 stolam dabat 6 Octobris. Paulo ante ni-  
 mirum 30 Septembris Rustandum in A-  
 quitania Legatum esse suum, atque Archi-  
 episcopos Burdigalensem, & Auscensem  
 illi, quanquam Hypodiacono tantum, pa-  
 rere jussérat eo fine, ut ille provinciæ tur-  
 bas compesceret, ac Terræ sanctæ nego-  
 tium urgeret, quod Anglorum Rex palam  
 suscepisset. Sic sonant ejus litteræ. At  
 hic sermo haud cohæret cum eo, quod Ru-  
 standus in Anglia fecerat.

**Rayn. n. 34.**

**n. 27.**

§. XXXVII.